



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

X. Soluuntur argumenta Caluini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

AMBROSIVS in cap. 2 Philip. *Quid, inquit, & quantum humilitas mereatur, hic ostēditur.* Et AUGUSTINVS tract. 104. in Ioan. hunc locū tractans: *Humilitas, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est pramium, sed hoc factū est in forma serui.* Vide etiam Cyrillum lib. 3. thesau. cap. 2. Basilium lib. 4. in Eunom. Augustinum lib. 2. contra Maximin. cap. 5 & lib. 3. ca. 2. Theophylactum, Oecumenium, Primasium, Bedam, Anselmū, & alios in hæc loca. Omnes enim ex his locis colligunt, Christum meruisse humilitate gloriam, non solum nobis, sed etiam sibi. Et certè longè tutius est, tot veteres Patres, Græcos & Latinos in Scripturarum explicatione sequi, quàm nouellos istos Doctores, qui non videntur sibi sapere, nisi omnibus contradicant. Præterea est etiam congruentia rationis; nam melius est, ceteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm sine merito.

Si dicas, quare ergo non etiam gratiam & scientiam, & gloriam animæ habuit Christus ex merito?

Respondet B. THOMAS, 3. p. q. 19. art. 3. Christum debuisse habere omnia optimo modo. sunt autem quedam bona tam excellentia, vt melius sit illis nunquā carere, quàm ea acquirere ex merito, quia magis detrahit perfectioni alicuius carentia illorum ad tempus, quàm dignitas merendi: & tamen non potest quis ea mereri, nisi aliquando illis careat. Et talia sunt, gratia, gloria, sciētia, & præcipuè vnio hypostatica, quæ omnia Christus ab initio habuit. At gloria corporis, & nominis exaltatio minora sunt, quàm ipsa dignitas merendi, & ideo melius fuit carere illis ad tempus, & ex merito illa acquirere, quàm carere dignitate merendi.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta Caluini.

” **N**EQVE argumenta CALVINI valde metuēda sunt. Nam cū ait; *Quid opus fuit descendere vnicum Filium Dei, vt sibi acquireret aliquid noui?* Respondeo, non eguisse Dei Filium vlla re, nec descendisse, vt sibi aliquid acquireret. Nam qui descendit, Deus fuit, non homo; immodò hoc ipsum descendere fuit hominem fieri, & seipsum exinanire. At postquā descenderat, & formam serui acceperat, aliquid sibi acquisiuit in ea forma, quam

quam assumpserat; non in ea, qua descenderat. Potrò in forma serui aliquid ei defuisse ante resurrectionem, quis ambigere potest?

DICES, gloria corporis sequitur per se ex gloria animæ, at accessorium non cadit sub meritum. RESPONDEO, gloriã corporis nõ videri absolute accessoriam. Nam sequitur ex gloria animæ secundũ Dei determinationem, & meritorum congruentiam. Deus enim voluit vt gloria animæ redundaret in corpus, quia gloria animæ acquiritur per actus animæ, qui in corpore exercetur, & ideo tam gloria animæ, quã gloria corporis cadit sub meritum. DEINDE quid prohibet, id quod accessorium est, cadere sub meritum. Etsi enim iam debitũ est ratione eius, cui accedit, tamen potest etiam cadere sub meritũ, vt alio quodam titulo debeatur. Quare licet fateamur debitam fuisse Christo gloriam corporis, etiam si pro ea nõ laborasset: tamen quia quod debetur vno modo, potest deberi etiam alio modo: ideo voluit Deus, vt gloria corporis deberetur Christo etiam iure præmij ac mercedis.

ALTERVM Caluini argumentum sumebatur ex his locis, vbi dicitur; Christus pro nobis laborasse vsque ad mortem. *ce*
Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illũ.* *ce*
Isaia 9. *Puer natus est nobis.* Zacharia 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Ioan. 17. *Pro eis ego sanctifico me ipsum.* *ce*

RESPONDEO primũ, in nullo horum locorũ legi, propter nos tantũ Christum laborasse. Proinde hæc omnia nihil aliud efficere, quã nobis Christi labores profuisse, quod minimè negamus. Addo deinde, in his locis nullam factam esse mentionem gloriæ ipsius Christi, quasi propter nos tantũ laborasset, quia nos fuimus causa, sine qua non fuisset passus. Si enim Adam steterat in ea innocentia, in qua conditus fuerat, sine dubitatione vlla, Dei Filius passus nõ fuisset: fortasse etiam nec carnem assumpisset, vt ipse etiam Caluinus docet lib. 2. Instit. cap. 12. §. 4.

Iam verò TERTIVM Caluini argumentũ illud erat. Frigeret confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, *ce*
Rom. 5. quod Christus pro inimicis mortem subierit. *ce*

SED respondeo, nihil impedire meritũ proprium, quod minus ostendatur ardor caritatis Dei erga homines. Nam in primis Scripturæ vt plurimũ extollunt caritatẽ Dei Patris, qui

qui nihil lucrari poterat, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum, &c.* Rom. 8. *Proprio Filio non peperit, &c.*

Deinde etiam Christi maxima apparet caritas, si respicias diuinam eius personam, cui nihil accessit utilitatis; & hoc Paulus nobis proponit 2. Cor. 8. *Scitis, inquit, gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset diues.* Et Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanuit, &c.*

Deniq; etiã Christi hominis apparet maxima caritas, quia poterat ipse sine passione & morte per alios actus mereri sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem, & tamen mori uoluit, & pro inimicis mori, ut copiosa esset redemptio. Quod autem Christus non sui omnino oblitus fuerit, ut CALVINUS dicit, patet ex uerbis illis Ioan. 17. *Clarifica me Pater caritate, quam habui apud te, &c.* Vbi postulat à Deo gloriam resurrectionis, & nominis exaltationem; ut exponit eo loco S. Augustinus.

- » Argumentum POSTREMUM illud fuit; Quibus meritis al-
- » sequi potuit homo, ut iudex esset mundi, & caput Angelorum,
- » atq; ut summo Dei imperio potiretur, atque in eo resideret
- » maiestas illa, cuius millesimam partem cunctæ hominum &
- » Angelorum virtutes attingere nequeunt?

Sed facilis solutio est. Non enim docemus, Christum suis meritis id assequutum, ut esset caput Angelorum, & summo Dei imperio potiretur, atq; in eo Dei maiestas resideret. Si enim id meruisset, unionem hypostaticam meruisset, quod Augustinus apertè negat libro de prædestin. Sanct. cap. 15. & nos etiam paulò antè negauimus.

Porro, ut iudex esset mundi, facilè Christus mereri potuit. Nam Christi merita, si nõ fuissent sufficientia ad hoc, ut ipse fieret iudex mundi, multò minus fuissent sufficientia ad reconciliationem totius mundi. Maius enim & difficilius fuit totius mundi peccata expiare, quàm mundi iudicem constitui. Et tamen 1. Ioan. 2. dicitur, Christi sanguis esse propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.

Finis secundæ Controuersie generalis.

LAVS DEO, VIRGINIQUE MATRI MARIE.